



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art .1. Utrùm Christus, ut homo, sit servus Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

quo minus sibi aliquid mereri potuerit, & meritis sit. *R. ad 2.* Christum dici non posse pro se mortuum ex primaria intentione, vel pro peccatis propriis, propter quae opus habuerit redemptione. Cyrillus autem eos tantum anathematizat, qui Christum asserunt hoc sensu pro se mortuum esse; seu eos qui asserunt Christum sacrificium obtulisse pro se, tanquam puro homine, peccatis obnoxio, ad satisfaciendum Deo pro peccatis à se admissis.

Quæres. Utrum Christus meritis fuerit aliquid Angelis?

R. Christus nullum gratiæ & gloriæ gradum meruit Angelis. Ratio est, quia 1. Christus iis tantum gratiam & gloriam meruit, quibus mortuus est. Sed Christus mortuus non est pro Angelis. Ergo, &c. 2. Ante prævisionem peccati originalis, adeoque ante incarnationis decretum, Angelis gratia, & consequenter iis, qui in gratia perseveraverunt, gloria à Deo preparata est. Ergo, &c. Superest igitur, ut Christus Angelis, quasdam tantum illustrationes, & gaudia, aliæque dona accidentaliter meritis sit.

Obj. illud Christi Joan. cap. 14. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Item illud Ephel. cap. 1. *Instaurare omnia in Christo, quæ in celis, & quæ in terra sunt.* Item illud Apocalyp. c. 12. *Et ipsi vicerunt propter sanguinem Agni;* quæ verba dicuntur de Michaeli, & aliis Angelis pugnantibus cum dracone. *R. ad 1.* hunc locum, & alia similia, de solis hominibus intelligenda esse. *R. ad 2.* his verbis significari tantum, quod per Christum Angeli & homines inter se reconciliati sint, in eoque, ut capite morali, uniti. *R. ad 3.* verba illa dici non de Michaeli & aliis Angelis cum dracone pugnantibus, sed de hominibus fidelibus: nam relato prælio Michaelis & Angelorum ejus cum dracone & ejus angelis, sic profectur Author sacer: *Profectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte, Et ipse (fratres nostri) vicerunt eum (draconem) propter sanguinem Agni.*

Quæres 6. Quid nobis meruerit Christus?

R. 1. Christus meruit nobis gratiam sanctificantem, & remissionem peccatorum mortalium. Est de fide, & probatur ex Apostolo ad Rom. cap. 3. ut ait: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.*

2. Meruit nobis omnia gratiæ dona, quæ primam gratiam sanctificantem, & peccatorum remissionem sequuntur, nempe gratias actuales, merita bonorum operum, augmentum gratiæ sanctificantis, remissionem peccatorum venialium, relaxationem poenæ temporalis & donum perseverantiæ. Est de fide, & patet ex Apostolo ad Ephesios cap. 1. dicente: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo.*

3. Meruit nobis omnia auxilia gratiæ excitantis & adjuvantis, quibuscum ad justificationem disponimur, adeoque & motum fidei, ipsi, dilectionis & contritionis, de quibus congruo meremur justificationis beneficium. *Prob.* Ex Apostolo 2. ad Timoth. c. 1. ubi ait: *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* Ratio est, quia Christus venit ut Redemptor perfectus proindeque per illum habemus omnia, quæ ad perfectam redemptionem requiruntur, quales sunt dispositiones ad peccatorum remissionem.

4. Denique Christus meruit nobis vitam æternam. Est de fide, & *prob.* Ex Apostolo ad Rom. c. 6. *Gratia Dei, inquit, vita æterna in Christo Jesu.*

Obj. Christus Joan. c. 6. dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Item: Si non solum gratia justificans, sed etiam dispositiones ad eam sane ex merito Christi, tota justificatio nostra est ex Christi merito, atque ita tota justificatio nostra est ex iustitia. Item: Auxilia quæ infidelibus nunc dantur, non dantur eis ex meritis Christi.

Simonnet Theol. Tom. II.

sti. Denique si Christus non venisset, adhuc Deus dedisset nobis auxilia gratiæ ad vitanda peccata, & legem servandam.

R. ad 1. Patrem trahere neminem, nisi propter merita Christi, quem pro nobis tradidit, & quocum omnia nobis donavit. *R. ad 2.* totam justificationem nostram, respectu Christi, esse ex iustitia, & totam gratuitam respectu nostri. *R. ad 3.* neg. Christus enim non solum in fideles influit, quia membra ejus sunt, sed etiam in infideles, ut fiant ejus membra. *R. denique ad 4.* neg. Omnia igitur gratiæ dona, quæ accipimus, debemus Christo ut causæ meritoria, cujus merita toties nobis applicantur, quoties intuitu illorum nobis salutare aliquid datur.

Quæres 7. Quomodo merita nostra à meritis Christi dependant.

R. merita nostra à Christi meritis dependere, 1. quoad causam efficientem: nam causa efficiens, & quidem totalis in suo ordine, sunt gratiæ auxilia, quæ nobis ad bene operandum conceduntur. At hæc auxilia conceduntur nobis ex meritis Christi. 2. quoad rationem perfecti meriti: nam bona nostra opera perfecti meriti rationem non habent, nisi accedente divina promissione de mercede illis retribuenda. At hæc promissio propter Christi merita facta est, ut aperte colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 16. ubi ait: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filius Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

XX

DISPUTATIO X.

De Prærogativis Christi.

ARTICULUS I.

Utrum Christus, ut homo, sit servus Dei.

NOta. Duplex distinguitur servitus: una naturalis, quæ creaturæ sunt servæ Dei; & altera humana, seu legalis, quæ unus homo servus est alterius. Naturalis servitus fundatur in essentiali creaturarum à Deo dependentia: legalis verò, in jure belli vel nativitate, vel condemnatione iusta judicis, vel in emptione. Porro de legali servitute hic non agitur, sed de naturali.

RESPONSIO I.

Christus, ut homo, propriè ac strictè loquendo non est servus Dei.

Prob. 1. Autoritate Patrum, pro quibus omnibus hic unus erit S. Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei c. 21. ubi sic loquitur: *Illud quoque sciendum est, cum (Christum) ne servum quidem dicere nobis licere (propriè scilicet & strictè loquendo: servitus enim ac dominationis vocabula: non naturas indicant, sed ex eorum sunt genere, quæ ad aliquid referuntur, quæ admodum & paternitatis & filiaris voces: hæc enim non essentiam, sed affectionem ac relationem ostendunt. Nam ... si ... subtilibus mentis imaginationibus, id quod creatum est, ab eo quod increatum est, junxeris, sanè servilis ordinis esset cara, nisi Deo Verbo copulata esset. At cum semel ei personaliter unita sit; sui ipsius profectio & servus & dominus esse nequit. Cujusnam igitur servus erit? Patrisne? Ergo non omnia ea, quæ pater habet, filii quoque sunt: siquidem patris servus est, sui autem ipsius minime si autem qui servum eum dicunt, unum Christum, in-
star Nestorii, in duos dividunt.*

Prob. 2. Hac ratione. Ad servitutem propriè ac strictè dictam requiruntur tria. Et 1. quidem, ut qui servus dicitur, teneatur obedire. 2. Ut non sit sui juris. 3. Ut cum domino nec in bonis, nec in honore, nec

Nn 2 in se-

in sede communicet. Sed humanitas Christi cum tribus personis divinis communicat in bonis, honore, & sede, juxta illud ab Apostolo ad Hebræos cap. 1. dictum de Christo ut homine. *Sedet ad dexteram Majestatis in excelsis.* Ergo Christus secundum humanitatem, nec sui nec aliarum personarum divinarum servus est, aut esse potest, propriè ac strictè loquendo.

Prob. 3. Hac alia ratione. Si propriè ac strictè loquendo, Christus, ut homo, esset servus Dei, Christus, ut est homo, propriè ac strictè loquendo, esset servus Christi ut Deus est. Falsum conf. Ergo, &c. Sequela maj. videtur evidenter vera: nam quæ Deo præcisè, ut Deus est, conveniunt, Christo, ut Deus est, communia sunt cum aliis personis divinis. *Prob. itaque min.* Nam si propriè ac strictè loquendo, Christus, ut est homo, servus esset Christi, ut Deus est, essent in Christo duo supposita distincta & diversa, suppositum scilicet increatum, nempe Verbum, & suppositum creatum, nempe homo. Atqui conf. falsum est & hæreticum. Ergo, &c. Minor constat.

Prob. sequela maj. Quia denominatio domini & denominatio servi, propriè ac strictè sumptæ, sunt denominationes personales, ut observat S. Thomas hic q. 20. a. 1. ad 2. ubi ait: *Relatio servitutis & domini fundatur super actione & passione in quantum scilicet servi est moveri à domino secundum imperium. Agere autem non attribuitur naturæ sicut agenti, sed personæ; altus enim suppositorum sunt & singularium.* Præterea, denominationes illæ servi & domini sunt correlative, & aded inter se oppositæ. Ergo propriè ac strictè sumptæ, non solum naturarum, sed etiam suppositorum seu personarum multipliciter important. Ergo si propriè ac strictè loquendo, Christus, ut homo, servus esset Christi, ut Deus est, &c.

Dices. Verbum est dominus humanitatis assumptæ: nam humanitas assumpta, non est sua, sed Verbi, & Verbum de illa tanquam de re sua potest disponere. Ergo humanitas assumpta est serva Verbi: servitus enim & dominium sunt duo correlativa. Ergo propriè ac strictè loquendo, Christus, ut homo, &c. R. neg. 1. conseq. Itaque humanitas assumpta, non est serva Verbi, quia 1. non est suppositum distinctum à supposito Verbi, sed est natura Verbi, in quo ut supposito suo subsistit. 2. Cum Verbo in bonis, honore, & sede communicat: cum hac autem communicatione servitus impossibilis est: unde nego etiam 2. conseq.

Dices. Saltem Christus, ut homo, est propriè ac strictè loquendo servus Dei Patris: nam Christus ut homo, subiectus est Deo Patri, ut docet S. Thomas art. proximè citato in O. ubi ait, Christum ut hominem, ad Deum Patrem habere subjectionem triplicem; unam quidem secundum gradum bonitatis, quatenus Deus Pater bonus est per essentiam, & Christus ut homo, per participationem tantum: alteram, quantum ad Dei potentiam; quia Christus, ut homo, sicut & qualibet alia creatura, subjacet operationi divinæ dispositionis, & omnia quæ circa humanitatem Christi acta sunt, divina dispositione gesta creduntur. Tertiam denique, quantum ad necessitatem obediendi; quia Christus ut homo, Deo Patri obedire teneretur. Ergo, &c.

R. neg. instant. *Ad prob. neg. conseq.* Nam in humanis v.g. filius, quandiu non emancipatur, est subiectus patri, & tamen nec est, nec potest esse servus ejus, quia vi suæ originis, jus habet ad bona & hereditatem paternam. Christus itaque cum sit Dei Filius naturalis, sub nullo respectu potest esse propriè & strictè servus illius. Præterea, etiam ut homo, ad bona & hereditatem Patris jus habet incontestabile, propter sanctitatem substantialem humanitatis, & cum Deo in honore communicat. Cum hoc autem jure & hac communicatione stare non potest propriè ac strictè dicta servitus.

At inquit. S. Thomas hic q. 20. art. 1. ad 2. expressè asserit Christum ut hominem, esse servum Dei Patris. *Nihil prohibet,* inquit, *Christum dicere Pa-*

tri subiectum, vel servum secundum humanam naturam. Imò art. 2. in O. dicit Christum ut hominem, esse servum sui ipsius, ut Deus est. Nam hæc habet: *Dicere possumus, secundum unam earum (naturarum) in qua cum Patre convenit, simul eum (Christum) cum Patre præesse & dominari: secundum vero alteram naturam, in qua nobiscum convenit, ipsum subesse & servire.* R. breviter. S. Doctorem in utroque loco de servitute latè & impropriè sumpta loqui. Pro quo fit

RESPONSIO II.

Christus, ut homo, latè dici potest esse servus Dei.

Prob. Nam 1. in Scriptura Christus dicitur servus Dei, ut Isaie cap. 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Et cap. 53. *Justificabit ipse justus servus meus multos.* Præterea, ad Philipp. c. 2. de Christo loquens Apostolus sic ait: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* 2. Ex Patribus, quorum unus hic nobis sufficit Augustinus in epist. 178. in qua sic loquitur: *Subjectionem Fili, Patri debitam ex carnis infirmitate suscepit, etiam nos, quia justum est, verissime confitemur; in qua cum infirmitate non solum subditum, sed & servum evidentissime confitemur, ipso dicente in prophetia ad Patrem; O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ, id est, Maria. Patet ergo in quo sit equalis Patri Filius, in quo sit non solum subditus aut inferior, sed etiam humillimus servus.*

Prob. 3. Ratione. Quia servitus latè sumpta, est relatio fundata præcisè in dependentia & subjectione unius ad alterum, ita ut unum non sit suum, sed alterius, & alterum possit de eo tanquam de re sua disponere, eique imperare. Atqui humanitas assumpta essentialiter habet dependentiam & subjectionem ad Deum, qui de ea tanquam de re sua disponere, eique imperare potest. Ergo Christus secundum humanitatem assumptam dici potest, & est latè servus Dei.

Igitur nihil vetat, quominus in sensu lato, adedque nec communicationem in bonis & honore, nec in eo qui servus dicitur, naturalem filiationem excludente, Christus simpliciter dicatur servus Patris, sicut simpliciter dicitur subditus Patri, & Patri obedire, seculo tamen Arianismi periculo; aliouin addendum esset, secundum humanitatem, & dicendum: Christus secundum humanitatem servus est Patris, subditus est Patri, &c. Ita docet S. Thomas hic quæst. 20. art. 1.

Porro Christus non potest similiter, quamvis in sensu lato tantum, dici simpliciter servus Verbi, sicut nec simpliciter dici potest subditus Verbo, & obedire Verbo; quia hic modus loquendi importat distinctionem ac diversitatem suppositorum. Addendum igitur est, quæ homo, & dicendum: Christus, quæ homo, est servus Verbi, est subditus Verbo, obedit Verbo; quo modo loquendi Nestorianismi suspicio vitatur, quia importat tantum distinctionem naturarum in Christo, & unius, nempe humanæ inferioritatem & subjectionem ad alteram, nempe divinam. Ita docet S. Thomas quæst. proximè citata a. 2.

Obj. Hadrianum I. in epistola ad Episcopos Hispaniæ contra Elipandum Toletanum Episcopum scripta, in qua sic loquitur: *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, ut equare eum nubibus & legislatoribus non erubescatis: adoptivum eum Filium, quasi purum hominem, calamitati humane subiectum, & quod pudet, dicere servum eum, impii & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obreptatores, Deo odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli liberavit?* R. Hadrianum loqui de servitute strictè dicta, adedque includente distinctionem suppositi, & communicationem in bonis & honore excludente, qualem ad Deum servitatem habere non potest, nisi pura creatura: unde jure merito invehitur Hadrianus in Elipandum, & alios erroris illius sectatores, qui Christum, ut hominem,

all-

asserentes esse Dei servi servum in sensu stricto; hoc ipso duas in Christo personas ponebant, unam scilicet personam Verbi Dei, & alteram hominis, sicque Christum purum hominem faciebant, & hoc faciundo instaurabant Nestorii hæresim.

ARTICULUS II.

Utrum Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus.

Nota 1. Adoptio humana communiter & rectè describitur, Gratuita personæ extraneæ ad hereditatem assumptio. *Aliquis homo*, inquit S. Thomas hic quæst. 23. art. 1. in O. *adoptat alium sibi in Filium, in quantum & sua bonitate admittit eum in participationem suæ hereditatis.* Ad hanc adoptionem tres à Jurisperitis conditiones requiruntur. Prima est, ut persona quæ adoptatur, extranea sit, hoc est, ut ex vi originis suæ, ad hereditatem, ad quam admittitur, jus non habeat. Secunda, ut admissio ad hereditatem sit gratuita, non onerosa; alioquin esset venditio, vel alius similis contractus, non adoptio. Tertia denique, ut is qui adoptatur, in adoptionem consentiat, vel per se, si usum rationis habet, vel per parentem aut tutorem, si nondum habet usum rationis; adoptio enim est humanus quidam contractus, proindeque necessariò, voluntarius ex utraque parte, seu ex parte adoptantis & adoptati.

Nota 2. Adoptio divina consistit in gratuita assumptione personæ extraneæ ad beatitudinis æternæ participationem; hæc enim beatitudo est Dei hereditas, ad quam Angeli & homines adoptantur per justificationis gratiam, per quam jus ad visionem beatificam, & alios actus beatificos acquirunt; ut de hominibus asserit Apostolus ad Titum cap. 3. cum ait: *Ut justificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitæ æternæ.*

Ita docet S. Thomas hic, q. 23. a. 1. in O. *Deus autem est infinitæ bonitatis, ex qua contingit quod, ad participationem honorum suorum, suas creaturas admittit, & præcipue rationales creaturas, quæ, in quantum sunt ad imaginem Dei factæ, sunt capaces beatitudinis divinæ; quæ quidem consistit in fruitione Dei, per quam etiam ipse Deus beatus, est & per se ipsum dives, in quantum se ipso fruatur. Hoc autem dicitur hereditas alicujus, ex quo ipse est dives. Et ideo in quantum Deus ex sua bonitate admittit homines ad beatitudinis hereditatem, dicitur eos adoptare.* Præcipuum autem adoptionis humanæ & divinæ discrimen subjicit S. Doctor nam sic prosequitur: *Hoc plus habet adoptio divinæ, quam humana, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hereditatem celestem percipiendam: homo autem non facit idoneum eum quem adoptat, sed potius eum jam idoneum eligit adoptando.*

Nota ex dictis 3. nullam irrationalem creaturam capax esse adoptionis divinæ: cum enim nulla sit capax visionis beatificæ, nulla capax est hereditatis æternæ: quare cum Deus dicitur Pater irrationalis alicujus creaturæ, talis creaturæ pater dicitur non per adoptionem, sed per creationem, ut Job cap. 38. *Quis est pluvie pater?* E contra rationalis creatura omnis ex se divinæ adoptionis capax est, quia creatura omnis rationalis capax est hereditatis æternæ, cum omnis capax sit visionis Dei intuitivæ, & aliorum actuum beatificorum. Omnes itaque Angeli sancti, & omnes homines justî, etiam ii, qui reprobi sunt, sunt filii adoptivi Dei, pro eo tempore quo sunt justî, quia eo tempore quo justî sunt, jus habent ad hereditatem æternam.

Nec dic excipiendos esse homines justos veteris Testamenti: verè enim fuerunt filii adoptivi Dei, cum jus ad hereditatem æternam habuerint; quamquam dicuntur potius servi, quam filii, tum quia sub lege erant & spiritu timoris agebantur, tum quia in statu justitiæ defuncti, æternam, ad quam jus habebant, hereditatem adire non poterant, donec venisset Christus. Sed quaeritur utrum Christus saltem

Simonet Theol. Tom. II.

cum hac determinatione, *quæ homo*, dici possit Filius Dei adoptivus.

RESPONSIO.

Christus, etiam quæ homo, nec dici potest, nec est Filius Dei adoptivus.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Apostolus ad Romanos c. 8. dicit: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Christus autem non ut Deus, sed tantum ut homo, à Patre traditus est, & tradi potuit in mortem. Ergo hic Apostolus loquitur de Christo non quæ est Deus, sed quæ homo est. Ergo Apostolus hic Christum, quæ hominem, vocat proprium seu naturalem Filium Dei. Ergo Christus, etiam quæ homo, est Filius Dei proprius ac naturalis. Atqui filio proprio ac naturali repugnat esse filium adoptivum. Ergo Christo, etiam quæ homo est, repugnat esse Filium adoptivum Dei.

Ad eundem Scripturæ locum eodem modo argumentatur Hadrianus l. in sua ad Episcopos Hispaniæ epistola jam citata. *Paulus*, inquit, *electionis vas ait: proprio Filio suo non pepercit, &c. Scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id, quod homo verus erat; illum nimirum qui traditus est, id est, hominem ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Tum post multa, quibus Christum, etiam quæ hominem naturalem Dei Filium esse probat, sic prosequitur: *Si quis adversus divinas Scripturas alium dicens Filium Dei, & alium qui ex Maria Virgine, hominem secundum gratiam adoptatum sicut nos, quasi essent duo filii, unus secundum naturam, qui ex Deo, & unus secundum gratiam, qui ex Maria hunc anathematizat sancta & apostolica Ecclesia.*

Prob. 2. Ex libello Episcoporum Italiæ contra Eliaphandum, à Concilio Francofordiensi approbato, & ejus jussu ad Hispaniæ provincias missio, in quo sic loquuntur Episcopi: Eas valde execramur, qui eum (Christum) adoptivum impio grunniunt ore. . . . Quia adoptivus dici non potest, nisi is quis prius alienus est ab eo à quo adoptari desiderat. Dei ergo Filius quæ ratione credi potest adoptivus qui inseparabiliter assumptus homine, in una persona coeunte utraque natura, non duo filii alius Dei, & alius hominis, ut . . . adoptivus sit hominis filius, & sine adoptione Dei filius: sed in una persona unus idemque Dei & hominis filius, qui nunquam hominem, quem assumpsit, deseruit.

Sic itaque cum Episcopis Italiæ Francofordiensis Synodus argumentatur. In Christo non sunt duo filii, quorum unus sit Filius Dei, & alter filius hominis: sed unicus est, qui simul est Dei per generationem æternam ex Patre, & hominis per generationem temporaneam ex matre filius est. Unde in Christo filius hominis est Filius Dei, & vicissim Filius Dei est filius hominis. Ergo Christus, quæ filius hominis est, non est persona extranea Deo Patri, quia quæ filius hominis est, est etiam naturalis Filius Dei Patris. Ergo Christus, quæ filius hominis est, nec est, nec potest esse Dei Patris adoptivus Filius. Ex quibus sic subsumo. Atqui Christus, quæ filius hominis, est Christus quæ homo. Ergo Christus, quæ homo, nec est, nec potest esse Filius adoptivus Dei Patris. Quod.

Confirmatur & declaratur ampliùs: quia cum dicitur Christus quæ filius hominis, Christus quæ homo, to quæ specificativè sumitur, & in recto importat suppositum humanitatis. Unde cum dicitur Christus quæ filius hominis, Christus quæ homo, perinde est ac si dicatur, Christus quæ suppositum humanitatis assumptæ. Atqui Christus, quæ suppositum humanitatis assumptæ, est naturalis Filius Dei: est enim Verbum ipsum subsistens in humanitate assumptæ. Ergo Christus, quæ filius hominis, Christus quæ homo, est naturalis Filius Dei to quæ significante rationem, non propter quàm est naturalis Filius Dei, sed propter quàm non impeditur, ne sit naturalis Filius Dei. Ergo Christus quæ filius hominis, quæ homo, nec est, nec potest esse Filius adoptivus Dei, cum sit naturalis Filius ipsius.

Nn 3

Prob.